



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros
Decretalium, Tomus ...**

In Lib. III. Decretalium. In quo agitur De Rebus, quae in iudicium devenire solent, cujusmodi sunt, de vita et moribus Clericorum, ...

Schlüter, Georg

Augustæ Vindelicorum, 1708

§. 5. De Successione Conjugum & Fisci.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73045](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73045)

cognatos, observatâ gradus prærogativâ, sublatâ omni differentia collateralium superiorum, & inferiorum, ipsoque etiam jure repræsentationis; successio autem istorum sic accipienda est, ut secundum personarum numerum inter eos hereditas dividatur, ita textus in Novella 118. relatus supr. quare in hoc nihil operatur, quod unus ex duplici vinculo conjunctus sit defuncto præ aliis, plus accipiat v. g. duas hereditatis partes; quia sic falsum evaderet, quod hereditas secundum personarum numerum inter eos dividatur.

2352 *Not. 1.* istam collateralium successionem juxta sententiam antiquorum porrigi solùm ad 10. gradus, desumpto *arg. ex S. fin. Instit. de success. cognat.* ubi admitti jubentur agnati usque ad septimum gradum tantum; at ubi inter agnatos & cognatos sublata est diversitas quoad jus succedendi, inferri videtur successionem simpliciter se extendere ad decem gradus. Quia tamen in Novella 118. c. 3. *S. Sed & ipsis*, dicitur: *omnes deinceps à latere cognatos ad hereditatem vocamus secundum uniuscujusque gradus prærogativam, ut viciniore gradu ipsi reliquis præponantur*; rectius dici videtur extendi in infinitum, sicut in descendentes; hoc enim denotant verba: *omnes, & secundum uniuscujusque gradus prærogativam.*

S. 5.

De Successione Conjugum & Fisci.

2353 **D**E ista successione extat *L. unica C. Unde Vir & Uxor*, quæ sic habet: *Marius & Uxor ab intestato invicem sibi in solidum, pro antiquo jure succedunt, quoties deficit omnis parentum, liberorumve, seu propinquorum legitima, vel naturalis Successio, Fisco excluso*; quod procedit, esto matrimonium eorum sit ratum tantum; sic enim verè sunt *Conjuges*; & lex non distinguit, an sint *Conjuges* ex matrimonio *rato tantum*, vel etiam *consummato*; sed dispositionem dictæ legis accipe, ut non procedat, si inter eos præcessit divortium perpetuum legitime, ac jure factum, per Novellam 117. c. 5.

2354 *Not.* Præterea, si Uxor Viro nullam dotem attulit, & eo mortuo, non haberet sustentationem, eam admitti ad successionem cum liberis, juxta præscriptum authenticæ, *Præterea. C. unde Vir & Uxor*, quæ sic habet: *Præterea si Matrimonium*

sit absque dote, Conjux autem præmorsus locuples sit, superstes verò laboret inopiâ, succedet unâ cum liberis communibus, alteriusve matrimonii in quartam, si tres sint, vel pauciores. Quod, si plures sint, in virilem portionem; ut tamen ejusdem matrimonii liberis proprietatem servet, si extiterint: his verò non extantibus, vel, si nullos habuerit, potestur etiam dominio, & imputabitur legatum in talem portionem. Not. 2. hanc successionem Conjugum posse variari pactis dotalibus, esto aliàs non valeant pacta mutua successionis in præjudicium eorum, qui jure vocantur ad successionem, *L. 61. ff. de verborum obligat. L. 15. & fin. C. de pactis*; nam de pactis dotalibus contrarium usu receptum est.

Not. 3. Nemine, ex descendentes, 2355 ascendentes, vel collateralibus pro successione comparente, sic constitutum esse *L. 4. C. de bonis vacantibus*: *vacantia mortuorum bona tunc ad fiscum jubemus transferri, si nullum ex qualibet sanguinis linea, vel juris titulo legitimum reliquerit intestatus heredem*; hæc autem hereditatis devolutio ad Fiscum non fundatur in jure aliquo hereditario, sed potius in quadam superioritate, & vi regalem. *Not. 4.* aliquos in jure vocari successionis incapaces, alios, indignos: illi sunt, *nati ex damnato concubitu, vel rei læsæ majestatis, isti, qui testatorem occiderunt, causam mortis præbuerunt*; mortem ejus intra terminum à judice dandum ulcisci neglexerunt; ejus judicium, seu ultimam voluntatem probroso nomine impugnant; cum gravis delicti reum faciunt; ei status controversiam movent; qui contra tabulas inique petunt bonorum possessionem; qui, uxorem contra leges duxerunt; inimicitias capitales cum defuncto exercuerunt, aut illi maledixerunt; uxorem ejus corrupuerunt; in fraudem juris promittunt restituere personam, quam capere fas non est; qui hereditatem compilarunt; in quantum compilarunt; qui de hereditate viventis improba facta fecerunt; denique (sed horum portio non cedit fisco) qui se à tutela testamentaria excusant; de quibus agitur in *ff. & C. Tit. de his, qui, ut indignis auferuntur.*

Not. 5. Incapaces successionis haberi, ac 2356 si non essent; consequenter eorum portionem deferri ad eos, qui proximi sunt, indignorum autem portionem cedere Fisco,

seo exclusis aliis. de peregrinis autem, jure communi dicitur: *omnes peregrini, si intestati decesserint, ad hospitem nihil perveniet, sed bona ipsorum per manus Episcopi loci, si fieri potest, heredibus tradantur; vel, in pias causas erogentur, &c.* sic Authent. *omnes peregrini.* C. Communia de Successionibus. de *proscriptorum* autem, & ob alia delicta damnatorum bonis, atque successione sic loquitur authent. de bonis proscriptorum: *bona damnatorum, vel proscriptorum non fiant lucro judicibus, sed ascendentibus, & ex latere usque ad tertium gradum, si supersint; uxores vero eorum dorem, & ante nuptias donationem accipiant, si vero sine dote sint, de substantia mariti accipiant partem legibus definitam, sive filios habeant, sive non; sed, si neminem predictorum habent, qui deliquerunt, eorum bona fisco sociantur.* In Majestatis verò crimine condemnatis, veteres leges servari jubemus.

ARTICULUS II.

Qualiter Ecclesia succedat ab intestato in Bona Clericorum.

2357 **R**esp. in bona illorum patrimonialia, vel quasi (de quibus liberè testari potuissent) si non extent, qui jure cognationis succedant, Clerico ab intestato decedenti succedere Ecclesiam, cui servivit tempore mortis; Si tunc nulli Ecclesie servivit, & tamen gaudebat privilegiis Clericorum, ea devolvi ad Fiscum Ecclesie illius loci, in quo decessit; & tunc ea distribuenda esse ab episcopo ex arbitrio in pias causas: prima pars sumitur ex *c. 1. h. r.* ubi textus, loquens de Episcopis, Presbyteris, clericis, & dicens, *eos de dictis bonis posse disponere ex arbitrio*, subjungit: *si autem antea obierint, quam firmiter perfecerint, altari, cui serviunt, omnia perpetuo sanctificantur, & in jus tradantur.*

2358 Ratio secunda partis sumitur ex jure civili, cum de hoc nihil specificè conditum sit à sacris canonibus; nam nullis extantibus, qui jure vocantur ad successionem defuncti, succedit fiscus secularis, ut dictum est in preced. tanquam in bonis vacantibus Laici defuncti, ergo etiam fiscus Ecclesiasticus in bonis defuncti Clerici, non obstante, quòd ea bona, non sint bona Ecclesiastica, alias enim, si servi

laicorum, à dominis manumissi ordinentur sacerdotes, & moriantur intestati, Laici ipsis succederent contra expressum textum in *c. Sancto 2. h. r.*

Cum enim ad Concilium Triburiense relatum esset, quòd quidam Laici improbè agant contra Presbyteros suos, ita, ut de morientium Presbyterorum substantia partes sibi vendicent, sicut de propriis servis; Concilium interdixit, ne hoc ulterius fiat; sed, *sicut liberi facti sunt ad suscipiendum gradum, & agendum officium divinum; ita nil ab eis, præter divinum officium exigatur;* peculium verò ipsorum dividatur in quatuor partes, quarum una, Episcopo; altera, Ecclesie; tertia, pauperibus; quarta, parentibus assignetur, & si non sint idonei parentes, Episcopus eam recipiat, & in usum Ecclesie diligenter distribuatur, & *si quis contra hoc presumeret, anathematizetur.*

Ex hoc textu colliges, quòd, licet jure 2359 legum Patronus liberti (quem scilicet manumisit è servitute) decedenti sine liberis, succedat, ut habetur *s. sed nostra* Institut. de successione Libertor: hoc tamen fallat, si libertus, Presbyter ordinatus, moriatur. Ex isto etiam textu juncto *c. 3. de servis non ordinand.* notabile discrimen aliqui advertunt, *inter libertos Ecclesiarum* ad sacros ordines promotos; & *inter libertos privatorum* eisdem ordinibus insignitos, ut scilicet Ecclesia patrona in omnibus bonis liberti intestati succedat per *c. 3. privatus* verò Patronus nihil ex illis bonis temporalibus vendicare possit, per textum in præsentia. Sed ex vi hujus textus solum sequitur, patronum (sive sit Ecclesia, sive privatus aliquis) nihil posse sibi habere ex bonis liberti, qui, postquam absolute, ac simpliciter manumissus est à servitute, factus sacerdos, decessit sine liberis; factus, si solum sub conditione, ut bona ejus temporalia pertineant ad Patronum, si decedat sine hæredibus suis, nam de illo casu hic textum agere, colligitur ex illis verbis: *liberi facti sunt.*

Ad id, quòd in *cit. c. 2.* dicitur de divisione bonorum defuncti in 4. partes, notat Pirhing. *h. r. 29. notat. 3.* ex glossa in dict. *c. 2. V. morientium*, non videri hodie locum habere; sed, si talis Clericus manumissus, consanguineos habeat, *in illis, qua in iure Ecclesie acquisivit, eos illi successuros*